11 Filij autem Leui: Gerson, Cehath, & Merari.
12 Et filij Iudæ: Er, & Onan, & Selah, & Perez, & Zerah: sed mortuus erat Er & Onan in terra Canaan. Filij autem Perez erant Hezron & Hamul.
13 Filij vero Isaschar: Tholah, & Puuah, & Iob, & Simron.
14 Filij vero Zebulon: Sered, & Elon, & Iachleel.
15 Isti sunt filij Leah, quos peperit Iacob in Padan Aram, cum Dinah filia eius: Omnes animæ filiorum & filiarum eius triginta tres.
16 Filij autem Gad: Ziphion, & Haggi, & Suni, & Ezbon, Eri, & Arodi, & Areli.
17 Filij vero Aser: Iimnah, & Iischuah, & Iischui, & Beriah, & Sarah soror eorum: Filii vero Beriah, Heber & Malchiel.
18 Isti sunt filii Zilpah, quam dedit Laban Leah filiæ suæ, & peperit istos ipsi Iacob, sedecim animas.
19 Filii Rachel vxoris Iacobi: Ioseph & Beniamin.
20 Nati vero sunt ipsi Ioseph in terra Mizraim, quos peperit ei Asenath filia Potypharæ Principis On: Menasseh & Ephraim.
21 Filii vero Beniamin: Bela, & Becher, & Asbel, Gerah, & Naaman, Echi, & Rosch, Muppim, & Chuppim, & Arde.
22 Isti sunt filii Rachel, quos peperit Iacobo: omnes animæ quatuordecim.
23 Filii vero Dan: Husim.
24 Et filii Naphthali, Iechzeel, & Guni, & Iezer, & Sillem.
25 Isti sunt filii Bilhah, quam dedit Laban ipsi Rachel filiæ suæ, & peperit istos Iacobo: omnes animæ septem.
26 Omnes animæ, quæ venerunt cum Iacob in Mizraim, quæ egressæ sunt de femore eius, præter vxores filiorum Iacob, omnes, inquam, animæ sexaginta sex.
27 Porro filii Ioseph, qui nati sunt ei in Misraim, animæ duæ. Omnes igitur animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Misraim, fuerunt septuaginta.

EXPLANATIO.

8. HÆC VERO SVNT NOMINA. Altera parte capitis texitur catalogus familiæ Iacobi, quam secum duxit in Ægyptum. Quid spectet hic Spiritus sanctus, monebo postea: vbi prius salebras quasdam apparentes in textu expediuero. Recenset Moses, vt fuit in analysi, familiam Iacobi in quatuor ordines quasi turmas distributam, paulo aliter, quam supra cap. 33. in occursu Esaui. Ibi in *prima* turma Iacob collocabat ancillas matres cum suis filiis. In *media* Leam vxorem cum suis. In *tertia* Rachelem Dominam cum suo Iosepho. Hic Moses in *primo ordine* recenset filios & nepotes ex Leah numero 33. (versibus 8.) *Secundo*, filios & nepotes ex Zilpah ancilla Leæ: numero 16. (versibus 3.) *Tertio*, filios & nepotes ex Rachel, quam solam vocat vxorem κατ' ἐξοχὴν, tanquam solam legitime nuptam & charissimam: numero 14. (vers. 19. 20. 21. 22.) *Quarto* denique filios & nepotes ex Bilha ancilla Rachelis, numero 7. (vers. 23. 24. 25.) *Postremo* omnes collegit in summam bifariam: *primum* sexaginta sex: *deinde* septuaginta (v. 26 27.)

Commentatores circa singulos prope ordines mouerunt scrupulos varios, qui reuera nulli sunt. Difficultatem auxerunt LXX. interpretes Græci, qui vel ipsi, vel librarii post eos, in tertio ordine assuerunt quinque Iosephi nepotes: & summam fecerunt capitum septuaginta quinque, quæ summa etiam legitur in concione Stephani, Actorum 7. versicul. 14. Nos *primo* Catalogum, vt est in Hebraica veritate, planum faciemus: